



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Baptismo Et Confirmatione - Dvobus Libris Explicata

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXVII. De cæremoniis, quæ sequuntur Baptismum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53934)

CAPVT XXVII.

De ceremoniis, quæ sequuntur Baptismum.



CEREMONIAE, quæ sequuntur Baptismum, sunt alia quinque. PRIMA videtur fuisse osculum patris, in signum, quod baptizatus est frater noster. Meminit huius ceremoniæ Cyprianus, lib. 3. epistol. 8. ad Fidum: respondet enim quibusdam, qui existimabant non esse baptizandos infantes recens natos, & in argumentum adferebant, quia oportet osculum dari baptizato; omnes autem horrent infantem recens natum osculari. Respondet autem Cyprianus, nihil esse cur horreat Christianus osculari eum, quem Deus ipse creauit.

SECUNDA est, vnctio Chriftatis in vertice; quæ quidem introducta videtur, quia non semper adest Episcopus, qui possit continuò dare post Baptismum Sacramentum Confirmationis. Ideò enim interim vngitur à presbytero baptizatus, non quidem in fronte, sed in vertice, Chriftate ab Episcopo consecrato. Meminit huius ceremoniæ Damascus in vita Syluestri. Innocentius I. epistol. 1. cap. 3. Ambrosius, libro 3. de Sacramentis, cap. 1. & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, vbi dicit, presbyteris non licere sine Chriftate baptizare. Vbi apertè loquitur de vnctione Chriftatis, quæ datur à presbytero in vertice: nam ibidem paulò antè asseruit, Sacramentum Confirmationis non dari, nisi ab Episcopo.

TERTIA ceremoniam est, cereus accensus, qui datur baptizato in signum fidei, & gratiæ acceptæ, & quod sit translatus à potestate tenebrarum ad lumen, & sortem Sanctorum. Meminit huius ceremoniæ Gregorius Nazianzenus in orat. in sanct. lauari. & Augustinus in Psal. 65. in illud: Transiimus per ignem & aquam.

QUARTA est, vestis candida, quam ferre solebant à Sabbatho sancto, vsque ad Dominicam in Albis. Meminit huius Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, cap. de Baptismo. Ambrosius, libro de iis, qui myst. inie. capite 7. & Augustinus, sermone 157. de tempore, qui est 1. in Octaua Paschatis.

QUIN-

QVINTA cæremonia olim fuit, delibatio lactis, & mellis,
ſeu vini, quæ tamen hoc tempore non eſt in uſu. Meminit
huius cæremonia Tertullianus, libro I. contra Marcionem,
& Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, ubi dicit, id
fieri conſueiſſe in ſignum nouæ infantia in Chriſto. Vnde
etiam in Miſſa Dominicæ in Albis legitur propter Neophy-
tos illud ex epiſtola Petri: Quaſi modò geniti infantes lac con-
cupiſcite. ſed hæc non videtur fuiſſe generalis, cum tantùm
in Occidente eam viguiſſe ſcribat Hieronymus, in caput 55.
Iſaia, in illud: Emitte vinum, & lac. Itaque non mirum, ſi
prætermiſſa tandem fuit; ſicut etiam illa, cuius meminit Am-
broſius, lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. lauandi pedes Neo-
phytis mox à Baptiſmo, particularis erat qua-
rundam Eccleſiarum, & ideo
facile exoleuit.

